

latis modo JUSTINI verbis exurgit. Apollo Originis Seleucidarum crederetur Author. Anchora opinionis artha fuit. Hæc certa generis nota,
per omnem

Nam Sobolis seriem Nativa cucurrit Imago.


Illum non Posterî tantum Seleuci agnoverunt, sed & Seleucus ipse; Occupato enim Orientis Regno Urbem condidit, ibique geminæ consecravît Originis memoriam: Urbem ex Antiochi Patris nomine Antiochiam appellans; Campos autem Urbi Vicinos Apollini consecrans.

Quid rei sit, cui Apollo infidet, dubitari video; Cl. VAILLANT machinam opinatur Illam, quæ terræ hiatui imposta sacerdotis sedile fuit, cum Oracula petebantur; At DIODORUS machinam illam tres bases habuisse, indeque tripodem appellatam scribit; Sed nihil obstat, cum tripodem hunc Corio serpentis ab Apolline obductam, indeque Corinam appellatam constet, quam hîc expressam auguramur. Monogramma Apamiæ nummum signatum ostendit, cujus nominis cum plures Seleucus Nicanor condiderit, de quâ intelligendum, non facile est discernere.

Antiochum M. excepit Seleucus Philopator, hunc Antiochus Eupator, Eupatorem

XXI.

DEMETRIUS SOTER.



Altera facies juvenilior est, altera virilem ætatem præfert, quod illud Numisma Imperii initio, hoc circa ejusdem finem percussum arguit; De posteriore etiam adjectæ testantur literæ numerales, quibus annus Seleucidarum 162. designatur, quo Demetrius, postquam duodecim annos præfuisset incompletos, vitam simul cum Regno amisit; Adde & Soteris cognomen, quod in primo abest, procul dubio, quod eò nondum honoratus fuerit, cum Numisma percuteretur; A Babylonis enim, si APPIANO credas, id accepit, postquam Româ profugus Lyfiam & Antiochum